



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

A Clemente XI. Ad Benedictum XIII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

13. Exponi nobis nuper &c. Binæ Apostolicæ Litteræ forma Brevis
expeditæ in quarum primis ejusdem Constitutio: Paterna Sedis Apostolicæ
providentia pro Tertiariis Ordinis S. Francisci anno 1725. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74859](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74859)

salibusque Conciliis edicis, vel edendis specialibus, vel Generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus, Privilegiis, quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis eidem Monasterio, ac quibusvis aliis Superioribus, & personis in genere, vel in specie, aut alias in contrarium præmissorum forsitan quomodolibet concessis, confirmatis, & approbatis, quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, alias de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omissis, & forma in illis tradita observata inserti forent, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permanentis latissimè, & plenissimè, ac specialiter, & expressè, nec non opportunè, & validè, hac vice dumtaxat motu simili lege scientia, & potestatis plenitudine paribus derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 3. Augusti 1726. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

P. Cardinalis Prodaturus.

I. B. Archiep. Nisiben. Subdaturus.

A. Magister Brevium.

Loco † Sigilli.

O. de Carconiis.

D. 3. Aug.
1726. P. A.
tertio.

XIII. Binæ Apostolicæ Litteræ in forma Brevis expeditæ.

In quarum primis ejusdem Constitutio: *Paterna Sedis Apostolica providentia* pro Tertiariis Ordinis S. Francisci anno 1725. quarto Idus Decembris emanata ad Tertiarias Ordinis Servorum B. M. V. extenditur, & ampliatur; Ita ut à Jurisdictione, & dependentia Ordinariorum eximantur, & Priori Generali ejusdem Ord. pro tempore existenti Curæ, & Superioritati subjectæ omnino sint.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Supplicatio.

§. I. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni Prior, & Procurator Generales Fratrum Ordinis Servorum B. Mariæ Virginis, quod cum ipsi longa experientia cognoverint nonnullas molestias, vexationesque, quas ejusdem Ordinis Tertiariæ tolerant, ab illis locorum Ordinariis, qui ejusmodi Tertiarias ad eorum dependentiam, seu superioritatem adigere volunt, exoriri, idque eidem Tertiariis animi perturbationem, & spiritus dispersionem, atque prædicti Ordinis Superioribus non modicam inquietudinem parere, dicti Exponentes, quod similibus inordinationibus occurrant, Litteras Nostras sub plumbo desuper ad perpetuam rei memoriam anno Incarnationis Dominicæ 1725. quarto Idus Decembris, Pontificatus Nostri anno secundo expeditas, per quas inter alia Tertiariæ Ordinis Sancti Francisci à Jurisdictione, & dependentia Ordinariorum eximuntur, ad Terti-

rias primò dicti Ordinis per Nos extendi summopere desiderant, præsertim quia hunc Ordinem à fel. rec. Innocentio PP. VIII. Prædecessore Nostro ad participationem privilegiorum quatuor aliorum Ordinum Mendicantium admittam fuisse memoratur. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut præmissis opportunè providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignatemur.

§. 2. Nos igitur ipsos Priorem, & Procuratorem Generales specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existant, ad effectum præsentium tantum consequen. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Litteras Nostras prædictas, per quas Tertiariæ secundo dicti Ordinis omnimodæ jurisdictioni, & regimini earum Ministri Generalis subjiuntur, ad Tertiarias primò dicti Ordinis auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuò extendimus, & ampliamus; ita ut illæ Prioris Generalis pro tempore existentis hujus Ordinis curæ, & superioritati subjectæ omnino sint.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non quatenus opus sit primò dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ad de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permanentis, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 8. Augusti 1726. Pontificatus nostri anno tertio.

F. Card. Oliverius.

In secundis verò perpetuis futuris temporibus locus Consultoris Sac. Rituum Congregationis uni ex Professoribus ejusdem Ordinis decernitur, & ordinatur.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ratio Justitiæ exigit, ut Religiosorum Virorum Ordines in Ecclesia Dei pie, sancteque instituti, qui multos pro Religione labores continuè sustinent, congruis honoribus, & gratiis decorentur.

§. I. Cum itaque, sicut dilectus filius modernus Prior Generalis Ordinis Fratrum Servorum B. Mariæ Virginis Nobis nuper exponi fecit, ipse, qui unus ex Consultoribus Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositæ existit, locum fixum Consultoris hujusmodi, eidem suo Ordini assignari summopere desideret; Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere, & ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignemur.

§. 2. Nos igitur erga prædictum Ordinem, quem in visceribus gerimus charitatis, aliquod

Extensio de
qua in rubr.

Contrario-
rum deroga-
tio.

D. 8. Aug.
1726. P. A.
tertio.

XIV.

Exordium.

Supplicatio.